201

50



DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA.

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis undecimo mensis Januarii, anno Domini M. DCC. XLVIII.

M. CLAUDIO PERSON, Doctore Medico, Præside.

An parcior Obesis, quàm Macilentis Sanguinis missio?

I.



NTIQUISSIMUM Medicinæ subsidium sanguinis emissio, quo tetra morborum cohors frequenter debellatur. Frustrà tamen adversùs omnes, quibus opprimitur humana gens ægritudines, promiscuè venæ-sectionem adhibueris. *Sanguinem (a) incisâ venâ mitti novum non est, sed nullum penè morbum esse in quo non mittatur, novum est.* Anceps veluti gladius, prout eo incautè vel prudenter utaris, mortem infert aut salutem. Hanc imperare, facillimum; rectè præscribere, nihil forsàn difficilius. Ipsius opportunitas, sedes, sanguinis emittendi copia totidem sunt cautiones, quas

(a) Cels. lib. 2. cap. 10. pag. 77.

nemo, nisi vir prudens Medicinæ principiis instructus, rectè poterit observare. Debilis & pallida chlorosi puella langueat; totum inerti liquido tumefactum gravatur oneraturque corpus, deficit nativus partium vigor, vixque torpentia potest movere membra: huic si sanguinem extrahis, vitæ fons naturæque thesaurus tollitur, viscerumque omni sublato robore, superstes extinguitur flammula vitalis. Ardenti corripitur febre in ætatis flore & roboris ἀκμῇ constitutus juvenis; en magno fertur impetu sanguis, uritur corpus, scintillant oculi, dolet oppressum caput, fervetque pectus: imminutis missione sanguinis morbi naturæque viribus, cuncta fiunt pacatiora; hâc omissâ, brevì suo robore suffocatus æger procumberet. Sic auget minuitvè morbum intempestiva vel opportuna sanguinis emissio. At venæ-sectionem postulet morbus aut morbi causa; nùm indiscriminatim è quocumque vase sanguis extrahendus? Nequaquam. Antiqui jam pro re natâ, variisque rerum circumstantiis, diversa corporis aperienda vasa diligenter annotaverant. Morbo cuique, cuique visceri sua propria & peculiaris aderat vena, in quâ sectio peragenda. Inutilis quidem & inepta sedulitas, iis tamen facilè condonanda, quibus incognitus aut saltem dubius maximè circuitus sanguinis. Nec talis omninò rejicienda methodus, quin potiùs detectis penitiùs naturæ mysteriis, novam circulatione præferente facem, emendanda. Suæ sunt sanguini, sicut & cæteris liquoribus, leges ad quarum normam moveatur. Vasorum propter anastomosim quodcumque sectioni subjiciatur vas, semper è totâ massâ peragitur evacuatio, ratione tamen & effectu dispari; vel enim imminutâ quibusdam in partibus resistentiâ, eò fertur majori quantitate, quà data porta, sanguineus latex; vel eâdem auctâ in aliquâ parte, ab hâc ruit abundantiùs ad alias sanguis. Hinc derivatio & revulsio, cognita jam ab antiquis nomina, ingens recentioribus disputandi argumentum. Requiritur sæpiùs ex affectâ parte revulsio, nec suus deest derivationi locus. Hinc pro variâ sede mali diversis secantur in partibus venæ, & prudenti aut temerariâ brachii, colli, pedisvè electione tollitur malum aut ingravescit. Nec, cognitâ morbi naturâ, perspectisque motûs & circuitûs sanguinis legibus, aptum venæ-sectioni tempus locumque sufficit assignasse; sua cuique servanda sanguinis emittendi copia, quam non corporis pondus & moles, ratio sola determinat. Sanguinis ipsa quantitas, si non absoluta, saltem relativa, dignoscenda Medico. Pro variis ætatibus, varia sanguinis copia: nullus est in Medicinâ adeò peregrinus, qui ab infantulo aut seniori tantùmdem sanguinis audeat educere, quantùm ab homine vegeto. Sed nùm varia est pro diversâ corporum habitudine sanguinis quantitas? Duo ponantur homines, quorum alter pinguis, alter verò macer; ætas eadem, eadem sit utriusque magnitudo; an æqualis, an diversa sanguinis in utroque moles? Magni momenti & altiori digna indagine quæstio: quò quis enim magis dives est aut egenus sanguine, eò liberalior ipsi aut parcior præscribenda est sanguinis missio.

I I.

SANGUINIS per vasa fluentis quantitas absoluta si quâcumque viâ detegi posset, brevì tota solveretur quæstionis difficultas. At quàm grave sit illud & arduum satis evincunt secum omninò pugnantes sententiæ. Hi sanguinei laticis tantoperè copiam extollunt, ut in homine centum & viginti libris gravi (a) ad centum usquè libras hanc arbitrentur ascendere; eamdem illi ita deprimunt, ut non ultrà octo decemvè libras (b) perduci contendant. Immensa vixque credibilis opinionum diversitas! Quid mirum si eâ de re nihil sit certum, definitum nihil?

(a) Keil.
(b) Moulin. Harvæus.

Prioris Author opinionis D. Keil hanc experimentis conatur aſtruere. Fiſtulæ inteſtinalis, meſenteriique partem, injectâ priùs ligaturâ præcipuis quibus irrigatur vaſis, amputat: ipſius pondus diligenter expendit. Mox ſolutis vinculis, ſæpiùs abluendo abſtergit ſanguinem, partem exſiccat, exſiccatamque rursùs appendit. Cognito ſic tùm humidæ tùm exſiccatæ partis pondere, cognitâque pariter totius corporis gravitate, tres exurgunt proportionis arithmeticæ termini, quorum ope quartus, nempè totius corporis exſiccati pondus, atque adeò, ut ipſi videtur, totius ſanguinis quantitas innoteſcit. Quàm caduco & fragili innitatur fundamento totum hoc ſyſtema, res ipſa demonſtrat. Sic enim non tam ſanguinis ipſius, quàm univerſorum quibus ſcatet animale corpus, humorum quantitas detegitur. Suum hìc ſymbolum confert lymphæ copioſa moles, ſuum conferunt humores omnes excrementitii; quin & venit in partem ponderis pinguedo, & illa, quæ ad fibrarum tuendam flexilitatem inſervit, humiditas. Quæ quidem omnia ſanguinis nomine quis velit inſignire? Solus ille verus ac genuinus ſanguis eſt, qui rutilo colore conſpicuus ab arteriis per venas ſanguineas ad cor continuo ductu reducitur; quem è ſectâ proſilientem venâ vides emicare; qui demùm, etſi partibus conſtat heterogeneis, perpetuo ſubactus motu, rubicundum refert homogeneum laticem.

Inſidum illud tentamen; alteram alii tentavere methodum; hinc priori contrarius error. Ingenti rupto canali ſanguineo hæmorrhagiâ perit homo, colligitur ſanguis effuſus & appenditur; vel cujuſdam animalis arteria cruralis aperitur, quâ extracto quantùm poteſt educi cruore & appenſo, totius ſanguinis notum eſſe pondus fuerunt arbitrati. Quam ne quis audeat concluſionem impugnare, vaſorum commercium & inoſculationem, quâ ſanguinem ex ſe invicem excipiunt, in auxilium advocant. Hæc quidem anaſtomoſis ab ipſo Medicinæ Principe Galeno (c) cognita, abſit ut in dubium hodiè revocetur. Sed ideòne concludendum nobis ex aperto vaſe ſanguinem effluere, donec omnis exhauriatur? Minimè gentium. Carneæ partes, quibus maximè conſtat corpus, abſterſo per injectam ſæpiùs aquam ſanguine, rubrum exuunt colorem induuntque candidum; rubeus igitur muſculorum color à ſanguine contento. At in ſecandâ animalis quâcumque venâ aut arteriâ, quantamlibet diligentiam adhibueris, etſi levi rimulâ diuturno tempore ſanguinem eduxeris, nihilominùs mortui animalis carnes rubeum adhùc colorem referunt: vaſis quidem aperti cum cæteris omnibus commercium eſt, his tamen ſemper ſanguinis aliquid hæret affixum. Et ſanè mirari deſines, ſi incredibilem vaſorum perſpexeris tenuitatem Lewenhoeckii obſervationibus confirmatam, talemque in corporis partibus ſingulis numerum, ut ne ſumma cutis acu tenuiſſimâ pungi poſſit, quin ſtatim ſanguis effluat. Sanguis igitur per adeò tenuia reptans vaſa, non illicò redit ad cor, indè per vas apertum propellendus; immenſa ipſius in corpore ſupereſt adhuc moles, extractaque quantitas mirum quantùm à verâ recedat. Longiùs tamen diſtat adhuc à vero calculus, quò majus vas, ſectio major, promptior eductio. Sanguis per vas adapertum nequit effluere, niſi vigente circuitu, à partibus ad cor, à corde ad partes, perpetuò deferatur. At ſi majus vas majori aperiatur ſectione, vehementi ſanguis erumpit impetu, collabuntur majora vaſa, deficit ceſſatque circulatio, remanente tamen magnâ adhuc ſanguinis in corpore quantitate. Præteréà quò minor eſt in aliquo vaſe reſiſtentia, ad illud majori copiâ ſanguis propellitur. At ſectâ crurali arteriâ, imminuuntur obices in hâc parte, copioſiùs ad hanc ſanguis irruit, parciùs

(c) Συναστομοῦνται αἱ ἀρτηρίαι ταῖς φλεψὶ καθ' ὅλον τὸ σῶμα, καὶ μεταλαμβάνουσι ἐξ ἀλλήλων αἷμα. Anaſtomoſi junguntur arteriæ venis per totum corpus, & excipiunt ex ſe invicem ſanguinem. Galen. de uſu part. lib. 6.

ad cæteras omnes: defraudatur ergò ſanguine cerebrum, deficiunt hujus viſceris vaſa, ſucci nervei deſinit ſecretio atque diſtributio, peritque proindè cordis motus. Hinc ſiſtitur ſanguis, ipſiuſque, etſi non exhauſti, ceſſat effluxus. Contrà verò vas ſit exiguum, parva ſectio; paulatim cruor elabitur, prout detrahitur ſanguis, ſenſim coarctantur vaſa, non fatiſcunt, non elaterio privantur, diù remanet circulatio, multòque abundantior ſanguis effluit. Cuncta hæc ſatis confirmant lentæ ſed diuturniores hæmorrhagiæ, quibus incredibilis ſanguinis quantitas fuit amiſſa. Sic aliis decem, aliis viginti, nonnullis triginta ſanguinis effluxiſſe libras referunt Schenkius, Braſſavolus, Th. Bartholinus, Marcel. Donatus, Lowerus & alii plures. Sic Bambergæ (d) Jeſuita nomine Fred. *Fuhrman* quatuor diebus quadraginta ſanguinis libras lævâ nare amiſerat. His ergò ſimilibuſque patet experimentis corpori multò plus ineſſe ſanguinis, quàm ex apertâ capaci quâcumque arteriâ poteſt extrahi.

(d) Vid. Diarium eruditor. Parif. 1683. menſis Auguſti.

I I I.

ALLATUM tentamen utrumque mancum, fallax utrumque. In hoc multò minor, in altero major multò, quàm quæ reverà eſt, tribuitur animali cruoris copia. Hinc abſoluta ſanguinis quantitas naturæ myſterium eſt, denſâ obvolutum adhuc caligine. Sed relativam ejuſdem quantitatem ne deſperes malè credulus poſſe deprehendi. Certæ ſunt ac determinatæ leges, quibus velut æquâ lance judicari poſſit è duobus hominibus uter utri ſanguineâ mole præponderet. Si enim occurrat in altero quidquid ſanguinis geneſi poteſt conferre, ſi capaciora ſunt ſanguinea vaſa, ſi demùm quicumque è majori ſanguinis copiâ ſequi ſolent effectus animadvertuntur, in altero verò reperiuntur contraria, rectè poteris inferre in hoc minorem quàm in illo ſanguinis adeſſe quantitatem, proindèque parciori manu venæ-ſectionem eſſe celebrandam.

At macilentos diligenter inſpicias velim. In his valentiſſima ſunt omnia, materiâ ſolidiori conſtant organa, ampla venarum capacitas, muſculi firmiſſimi, acuti ſenſus, uno verbo partium ſingularum functiones fortiùs, vividiùs, liberiùs exercentur. Undenam tot oriuntur phænomena, niſi à ſanguinis quantitate? Ad hanc præcipuè confert chylus abundans, ſincerus, & elaboratus, qui nunquam conficitur, niſi organorum quibus alimenta concoquuntur, vividæ actioni adjutrix acceſſerit ſuccorum digeſtivorum virtus & energia. In macilentis adſunt illæ requiſitæ è mutuo liquidorum ſolidorumque concurſu conditiones: uberior indè, perfectior, & ad novam transformationem velut aptior, chylus. Hic ſanguinis petit alveum, cordis, arteriarum & præcipuè pulmonis actione in ſanguinem convertendus. In gracilibus autem cor fortiter ſeſe contrahit, validiùs micant arteriæ, major eſt, liberior & æquabilior quàm in obeſis reſpiratio, tota denique ſanguificationis officina majori pollet robore; hinc facilior, promptior & perfectior hæmatoſis. Quanta macilentorum vis & agilitas in agendo! Quantum in longo & laborioſo operi perferendo robur! Cauſam poſtulas? Nullam præter ſanguinem & ſpiritus animales quæſieris. Undè major & vividior arteriarum pulſatio, niſi à majori & vividiori cordis contractione? Hujus porrò contractionis in corde cauſa *determinans* ſive ſtimulus eſt ſanguis in cordis thalamos irruens, *efficiens* verò ſucci nervei influxus, qui ipſe à ſanguinis copiâ pendet. Macilentorum inſpice cadavera; quàm rubicundi muſculi! Rubedinis cauſa, major ſanguinis quantitas. Hanc indicat ratio, experimenta probant, confirmant Medicorum obſervata. Chriſtiana (a) veſtalis temperamenti gracilis intrà breve tempus 28. cruoris libras narratur amiſiſſe. Ma-

(a) Schenkius.

cilentus (*b*) adoleſcens quinque & viginti annos natus, decem dierum ſpatio, quinque ſuprà ſeptuaginta ſanguinis libras naribus emiſit. Quin & ipſe fatetur D. Keil tenuioris habitûs homines quælibet ſanguinis profluvia faciliùs quàm obeſos poſſe ſuſtinere. Undè, ut nos inferimus, ipſi naturaliter fuerat inferendum, majorem in macilentis quàm in obeſis ſanguinis adeſſe copiam.

(*b*) Eruditor. Act. Lipſ. Anno 1698.

Succi nunc pleniorem intueamur hominem, quàm diverſa corporis conditio! Difficilem trahit ægrè ſpiritum; tardigradus, ac pede malè firmo incedit anhelus; immensâ ponderoſi corporis velut obruta mole gemunt labantque genua, minimoque motu defatigatus ſudoribus totus diffluit. Frequens ipſi vixque ineluctabilis à paſtu in ſomnum propenſio, capitis gravitas, ſenſuum hebetudo, totius corporis ſegnities. Oneroſa tandem nonnunquam ex improviſo corporis maſſa ruit, non oppreſſa ſanguine, ſed fatiſcentibus liquidorum energiæ defectu ſolidis, ſubitò deficiens. Undenam, quæſo, remiſſa & enervis illa organorum omnium laxitas? Sanguinis penuriam agnoſce. Hujus imminutio plus & in canalibus laxitatis, & in toto corpore debilitatis affert, quàm cujuſlibet alterius humoris deperditio. Indè debilius in obeſis vitæ robur, promptior gangrenæ (*c*) ſphacelique progreſſus. Eumdem ſanguinis ſpirituumque à ſanguine ſecernendorum defectum comprobant infirmiores quàm in macilentis vires, promptaque defatigatio, cùm ſpatioſam moliuntur gravidi corporis amplitudinem. Et ſanè minorem ſanguinei laticis copiam ſatis arguunt exilia (*d*) exinanitaque vaſa, quæ ſub pinguedine videntur evaneſcere; undè tanta, quoties ipſis ſecanda vena, difficultas. Sed ad quid tot argumenta? Unicum, cæterorum omnium ad inſtar, rem apertè demonſtrat. Fluxum menſtruum, malum illud utile, à plethorâ dependere præcipuus inter cæteros Cl. Freind comprobavit. Hinc pro diversâ ſanguinis quantitate varius eſt: Minor in puellâ, dum corporis incremento liquores inſerviunt; major ætate vigente, redundante ſanguinis copiâ; ætate verò paulò provectiori, dum organa debiliora pauciores rubras conficiunt partes, parcior minùſque copioſus. At mulieribus macilentis abundantiora effluere, frequentioraque recurrere menſtrua experientiâ fuit (*e*) compertum. Si quis autem ſudoribus aut ſputis ſine damno multùm humoris reddat, nonnè infertur ſeroſos humores in eo redundare? Eâdem igitur ratione concludendum multùm ibi ſanguinis ineſſe, undè multùm deperditur, parùm, undè parciùs fluit; proindèque minorem in obeſis quàm in macilentis adeſſe ſanguinis quantitatem.

[*c*] Hoffman. Differt. de Corp. diſpoſit. ad morbos.

(*d*) Fernel. de venæ-ſectione.

[*e*] Vid. Hipp. Freind. Hoffm.

IV.

IN peragendis, quas morbi præſertim acuti poſtulant evacuationibus, hanc certam inviolabilemque ſervari debere legem, ut replentium humorum redundantiæ reſpondeat evacuatio, nemo ſanus non animadvertit. Quantò magis autem requiritur illud in inſtituendâ venæ-ſectione, vacuatione omnium maximè ſubitaneâ, quâ naturæ robur graviſſimè ſolet infringi. Mechanicis demonſtratur legibus, corporis animati vires in triplicatâ ſanguinis imminuti ratione decreſcere, ità ut ſi media detrahatur ſanguinis copia, octava ſuarum virium pars corpori tantummodò ſuperſit. Ut propoſitionis veritas illuceſcat depromptam è matheſi longam argumentorum ſeriem exhibere non ſinunt limites Theſeos anguſtiores. Satis ſit indè patere, obeſis, quibus debiliores ſunt vires minorque ſanguinis quantitas, parciorem præſcribendam eſſe venæ-ſectionem. Quod quidem effatum, ratione & cognitione temperiei tùm in obeſis, tùm in gracilibus confirmatum, nedum practicis repugnet obſervationibus, ab ipſis firmius adhuc & certius evadit. Morbis acutis, qui ſanguinis copio-

ſiorem requirunt eductionem, multò frequentiùs graciles tentari quàm obeſos quotidianâ comprobatur experientiâ. Id diverſa fibrarum poſtulat conditio, cùm in his inertia ſint & velut atona ſolida, in illis verò tenſa & ad erethiſmum concipiendum magis idonea. At idem morbus, eadem omnino febris multò copioſiorem in macilentis indicat quàm in pinguibus ſanguinis miſſionem. Ab ipſis Medicinæ primordiis hanc evacuationem in uſum advocavere Medici, ut imminuto naturæ robore, pacatâque partium omnium conſtrictione, (Erethiſmum vocant) morborum ſedaretur vis & impetus. Quò igitur violentior morbus, major erethiſmus, eò copioſior venæ-ſectio, quam parciorem indicant ejuſdem morbi minor impetus, erethiſmus remiſſior. Sed acuto decumbat morbo vir ſiccus & gracilis, quanta ſymptomatum omnium violentia! Durus, ictuque vehementi pulſus arietans tenſi ſunis duritiem tangenti digito videtur referre: areſcit ferventi deuſtum calore corpus, ignitum crederes: faucium & linguæ vergit in nigredinem ariditas: ignei ſcintillant oculi: pungit capitis dolor acutiſſimus, undè delirium, imò phrenitis: aliquandò flammea, ſæpè tenuis & limpida, pauca ſemper urina redditur: conſtringitur alvus ſiccitate: uno verbo ſuppreſſæ ſecretiones, expirati fervor aeris, ſitis intenſiſſima, & quæcumque obverſantur in ægro ſymptomata, erethiſmum ad ſummum uſquè gradum deveniſſe ſatis indicant. Hunc citò accerſit & advocat partium omnium naturalis ſiccitas & tenſio; hunc, niſi largâ manu ſanguinem eduxeris, nunquam feliciter poteris compeſcere. At obeſum acutus occupet morbus, rerum nova facies exurgit, tranquilliori ſerpit pede malum, nec tanto furore deſævit erethiſmus. Acutiſſimas inter ægritudines, quæ terris incubuere, crebrâ metuenda ſtrage peripneumonia; hæc dum aggreditur obeſum feroces animos videtur mitigare. Calor urit præternaturalis, ſed non ita intenſus; major adeſt pulſûs frequentia, at plenitudo duritieſque minor. Aliquandò parcam poſt ſanguinis detractionem laxantur fibræ, remittit vaſorum tenſio, eorum reſtituitur flexilitas, libero alveo curſum ſuum peragit ſanguis, expectata ſequitur bilis cæterorumque humorum ſecretio, ſecura ſanitatis aſſertrix; ſputorum facilis ſit expectoratio, ſudores evehuntur, urina ſpiſſior profluit abundantiùs, ſæpè ſponte ſolvitur alvus bonis ægri rebus. Quid plura? In pinguibus materiâ turgente vaſa lymphatica potiùs quàm ſanguinea redundant: teſtes anhelitus, gravedo pectoris, & oneroſo velut impedita pondere reſpiratio. Tunc ſanguinem incautè nimiùm ne detrahas; non morbi, ſed naturæ frangerentur vires, quibus materiæ morbificæ molitur expulſionem. Quin potiùs nonnunquam ſollicitanda vaſorum actio, quâ attrita & ſubacta viſcidi fomitis compages feliciùs eliminetur. Hinc palmarium tunc temporis remedium Kermes minerale cujus irritante ſtimulo, dum ſævit erethiſmus, graviſſimè læderetur ſenſilis pulmonum fabrica. Nec minùs ſævum minùſque crudele peripneumoniâ malum eſt, doloſè corporis arcem tacitis oppugnans aſſultibus febris maligna. In macilentis ſicciſque corporibus terribili ſtipata ſymptomatum catervâ, vigilias, ſpaſmos, delirium, furorem accerſit; obeſos verò pacatiùs ſolet aggredi. Gravatum dolet obtusè caput; ſenſuum hebetudinem, torporemque corporis excipit tranquillo ſimile ſomno coma vel lethargus. Scilicet inerti liquidorum mole vitæ motuumque principium opprimitur. Hanc repetitâ nimiùm ſanguinis miſſione fruſtrà tentares educere: molle flaccidumque viſcus, viribus amiſſis, ſub pondere fatiſceret cerebrum; & nedum exſuſcitaretur, irrevocabili ſomno dormiret ægrotans: Attenuatâ, vividâ Cantharidum actione, ſpiſſiore cerebri lymphâ, ad vitam revocatur. Quàm igitur cautè, quàm prudenter præſcribenda ſit in obeſis miſſio ſanguinis ex his acci-

pe. At rem demonstrat adhuc evidentiùs proteus ille morbus, variolosa febris. Noxii variolarum fermenti citatiori sanguinis motu & fibrarum actione natura molitur eliminationem. Si temperatus, faustus & utilis nisus ille naturæ & omni artis molimine tuendus; violentior verò sapienti compescendus freno; tardior, calcaribus urgendus & sollicitandus: undè propter varias indicationes Medicorum methodus in curandis variolis diversa, quoad principia similis. At in pinguibus tardior circuitus sanguinis, vires solidorum languidiores; hinc lentior, (*a*) & sæpiùs infelicior quàm in macilentis variolarum eruptio. Quis sanguinem largâ manu tunc profundere audeat, debilemque & ferè imparem perficiendæ depurationi naturam magis adhuc labefactare? Quis è contrà præsentissimum in macilentis à violentâ febre, & erethismo vividiori vitæ periculum iteratâ venæ-sectione citò non avertat? In his morbus idem, diversa violentia morbi, dissimilia symptomata, hinc non eadem sanguinis emittendi quantitas, parcior in obesis, copiosior in macilentis.

[*a*] Nenterus Fund. Medic. Theoric. Pract. Tom. 2. pag. 544.

V.

NOSTRAM opinionem quot comprobant argumenta! Ad hanc tuendam ratio, cognitio temperamentorum, sanguinis quantitas, debilitas in obesis major, cruoris difficilior reproductio, &, quod præcipuum est, practicæ Medicorum observationes videntur conspirare. At gravioris etsi momenti rationibus confirmata, nulla non adversarios & impugnatores sententia solet experiri. Erunt fortassè qui diversam à nostrâ conclusionem velint astruere. Nonnè enim, inquient, abundantiorem sanguinis copiam, atque adeò largiorem venæ-sectionem indicant apoplexiæ assultus, ad minimum motum pectoris suffocatio, vasa in pulmonibus disrupta? Minimè sanè. Hæc enim omnia possunt contingere reveràque contingunt, quamvis minor sit in pinguibus quàm in macilentis sanguinis quantitas. Quandò in homine aliquo major est pro corporis habitudine cruoris copia, quàm ut organa ritè munus suum absolvant, tunc corpus plethorâ dicitur laborare. At talis plethora ab absolutâ sanguinis quantitate non pendet; imò quis, etsi minori copiâ sanguinis donatus, plethorâ malè potest affici, dum alter majori cruoris massâ pollens eamdem nullo modo persentiscit. Duo sint homines, quibus par vasorum capacitas, idemque sanguinis hæc vasa percurrentis volumen. Ex his alter ità sese poterit habere, ut vasorum fibræ ad eam tantùm tensæ sint normam, quæ, ut suis perfectè fungantur officiis, necessaria est; tunc à sanguine nihil erit incommodi, nulla aderit plethora: alter contrà in ultimum plethoræ discrimen adducitur, quippè cui fibræ sint delicatiores, & ad impellendum sanguinem minùs idoneæ. Fibrarum adest tensio rupturæ proxima, distractioque violentior, ut liberè munera corporis exerceantur. Sed si huic angustiora quoque sunt vasa, ut reverà sunt in pinguibus, licèt idem sit eorum numerus, eademque distributio, quædam poterunt occurrere symptomata, quæ magnam cruoris copiam, largioremque venæ-sectionem minùs oculatis videbuntur indicare, sed quæ viro verè Medico nunquam fucum facient. Sanguis, ut omne liquidum, semper eò fertur ubi minores obstant obices; in pinguibus igitur ad partes pinguedinis expertes, quale est cerebrum deferetur. Hinc apoplexiâ sæpiùs intereunt corpulentiores, eòque magis quòd eorum vasa nimiùm laxa ingurgitentur facilè, & sanguinem, sub cujus, etsi leviori, pondere natura fatiscit, repellere nequeant. Hinc tanta ad somnum propensio, cujus pinguedo causa, sicut & vice suâ somnus (*b*) adauget pinguedinem. Ab eâdem quoque repetenda

(*b*) Tota mihi dormitur hyems & pinguior illo
Tempore sum, quo me nil nisi somnus alit. Mart. Epigr.

maximè causâ ſpirandi difficultas, vaſorumque pulmonalium diſruptio. Mirum quantùm vulgus aberret à vero. Incidat obeſus in morbum cui depellendo neceſſaria videatur ſanguinis miſſio : tutò, inquiunt, poteſt ſanguis educi, habet undè ſolvat. At frequenter & abundè præpingui mittatur ſanguis, quid accidit ? Deperdito naturæ ſubſidio unà cum ægritudine ſæpenumero jugulatur ægrotans. Ubi ergò ſanguinem obeſis detrahere expedit, ne ſinas uberiorem effluere, parvis verò intervallis ſiſte nonnunquam effluxum, ut vaſis naturâ ſuâ mollibus & flaccidis ſeſe contrahendi tempus concedatur. Nobis forſitan objicies quandoquè contingere ut pingues tàm fœminæ quàm viri ſanguinis multùm deperdant, hi nempè hæmorrhoidibus, illæ verò fluxu menſtruo. Id quidem ultrò fatemur. Sed undenam ſanguine pleniores ſunt ? Quia nimirùm aut lautè viventes ſeſe cibis ingurgitant, aut quia ſub tectis degentes & in umbrâ nullo leviorive motu exercent corpus ; cùmque contrariæ contrariorum ſint rationes, nil mireris ſi macilentæ viragines nonnullæ miſerè victitantes duriſque exercitæ laboribus, parcè aut rarò experiantur menſtrua. Noſtræ favet opinioni, nedum adverſetur, hæc obſervatio. Parcior his accidit fluxus, quia laboribus & exercitio liquorum pars avolat, nec ea ſanguinis colligitur copia, quæ ſolitis menſtruis poſſit ſufficere ; à ſanguinis enim quantitate menſtruorum frequentia & abundantia. Sed cùm in genere frequentiora & copioſiora ſint in macilentis quàm in obeſis menſtrua, & multiplicis generis rationes, obſervationeſque certiſſimæ, illis quàm iſtis majorem ſanguinis eſſe quantitatem comprobent, rectè concludimus.

Ergò parcior Obeſis, quàm Macilentis Sanguinis miſſio.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Joannes le Thieullier.

M. Jacobus Verdelhan des Moles.

M. Claudius Perſon ; Actûs Præſes.

M. Ludovicus - Renatus Deſbois.

M. Carolus - Ludovicus Liger.

M. Joannes - Stephanus Guettard, Regiæ Scientiarum Academiæ Socius, Cenſor Regius, & Sereniſſimi Aurelianenſium Ducis Botanicus.

M. Franciſcus Pouſſe.

M. Thomas - Bernardus Bertrand.

M. Camillus Falconet, Salubris Conſilii Regii Socius & è Regiâ Inſcriptionum & Numiſmatum Academiâ.

Proponebat Pariſiis STEPHANUS-LUDOVICUS GEOFFROY, Pariſinus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, A. R. S. H. 1748, à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1748.